MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80066-7

AUTHOR:
HUNDERTMARK, JOSEF

TITLE:
IMPERATORE PERTINACE

PLACE:
MONASTERII

DATE:
1883

Master Negative #

91-80066-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hundertmark, Josef.

De imperatore Pertinace... Monasterii Guestfalorum, ex typographia Academica Coppenrathiana, 1883.

38 p. 21½ cm.

Thesis, Munster.


Volume of pamphlets


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-25-91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 7 — 80

DE IMPERATORE PERTINACE.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE IN ALMA LITERARUM
ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOSEFUS HUNDERTMARK
FOERDENSIS.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXXXIII.

I.

De Pertinacis rebus gestis, vita, moribus.

Commodi crudelitas atque rabies cum in dies adeo crescerent, ut ipsorum comitum salus et vita in discrimen vocatae esse viderentur, neque deessent, qui eum Falconem et Clarum, consules designatos, qui Kal. Januar. consulatum inituri essent, interfecturum confirmarent, ut solus consul hunc diem a gladiatoribus circumdatus celebraret, Laetus, praefectus praetorio, Electus, cubiculi praepositus, Marcia meretrix consilium occidendi imperatoris inierunt. Nocte igitur, quae praecessit Kal. Januar. a. CXCIII. veneno carni involuto mortem ei afferre studuerunt, et cum veneni effectus minimus esset, de sua ipsorum vita anxii Narcissum athletam conduxerunt, qui Commodum jugulavit.[1]) Imperatore necato conjurati, ut milites de crimine celarentur, corpus stragulis involutum per duos servos fidos e palatio ad Aristaeum ferendum curaverunt.[2]) Animis anxii, quod Roma imperatore careret neque Commodus ullum consanguinitate propinquum reliquisset, qui civitatem regeret, sed solum sororis virum, id maxime spectabant, ut Romae novum imperatorem darent, qui

[1]) Optime hac de re agitur apud Dionem Cassium LXXII. 22 (ed. Reimarus. Hamburgi CIↃIↃCCLXX.). qui Commodum a Laeto. Electo, Marcia interfectum esse contendit. Brevius Commodi caedem narrat Aelius Lampridius, vita Commodi c. 15, 17 (script. hist. Aug. ed. Peter. Lips. MDCCCLXV). Si eum sequi licet. Laetus et Marcia occidendi imperatoris consilium inierunt. Herodianus I c. 16, 7—13 C. 17 fabulose singulas res refert. Zosimus (rec. Becker, Bonnae MDCCCXXXVII) I. c. 7. — Johannes Zürcher, Commodus (apud Buedinger, Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte Bd. 1), 223 sq. — [2]) Herodianus II, c. 1, 1—5.

sese non minus quam Commodus ad imperium valere sineret. Nam si antea Commodi mors e tenebris et silentio prolata esset, iis timendum erat, ut vita tuta futura esset a rabie praetorianorum, quos Commodus benignissime tractaverat. Nec minus dubium erat, quin milites illi, ut commoda accepta servarent, statim novum imperatorem declararent, qui crudelissime iterum rem publicam vexaturus esset. Sin autem senatus, quem Commodus infirmissimum reddidisset, ita valeret, ut novum imperatorem renuntiaret, conjurationis socios sine dubio imperii participes futuros non esse, etiamsi criminis veniam accepissent. Quae deliberantes Laetus, Electus, Marcia, Publium Helvium Pertinacem praefectum urbi et consulis Commodi collegam, qui vir non tam praetorianis quam senatoribus favens virtute populo gratus erat ac probitate, Imperatorem elegerunt spe adducti, sese apud imperatorem beneficii accepti memorem magnam auctoritatem habituros esse.[1]) Itaque noctu Laetus et Electus cum nonnullis conjuratis ad Pertinacis domum festinarunt, ubi januae custodem somno excitant, qui perterritus virorum adventum domino nuntiat. Pertinax, qui nihil boni animo praesagiebat, in lecto manens intrantes monet, ut quam celerrime se caederent — id quod Commodum jussisse putabat —, se jam diu ad mortem paratum esse. Quibus verbis indignatus Laetus increpans narrat quae facta sint, et Pertinaci imperium offert. Cum Pertinax fidem ei non haberet, veritus, ne dolus Commodi subesset, servum fidum misit, qui Commodi occisi corpus oculis cerneret. Interea conjuratos, ut ad accipiendum imperium Pertinacem adducerent, omni ope annisos esse, verisimile est; saepius enim rerum scriptores Pertinacis horrorem imperii laudant.[2]) Neque enim eum effugere potuit, imperium suum post Commodi libidinosum regnum magna in discrimina vocatum iri et a partibus militum, qui effrenati facti erant, et a partibus senatorum nobilissimorum, praesertim cum ipse ignobili loco natus esset. Sed cum servus reversus verba

[1]) Herodianus II. c. 1, 8—11. — [2]) Herodianus II. c. 3. 1, 2, 3. 4 5. Capitolinus, vita Pertinacis c. 13 (ed. Peter). — Epistolam, quae docebat. quantopere Pertinax imperium horruerit e Marii Maximi historia Pertinacis vitae inserere Capitolinus longum putavit. Capitolin., vita Pert. c. 15.

Laeti et Electi confirmasset, Pertinax resistendo destitit. Ita convictus Pertinax cum conjuratis ad castra se confert ante primam diei lucem. Cum ad celebrandum diem festum homines omnia apparare inciperent, conjurati per homines fidos nuntium dispergunt, Commodum mortuum esse et Pertinacem, ut imperium obtineret, ad praetorianorum castra properare. Jam cum Commodus crudelitate invisissimus esset, Pertinaci omnes studerent, nuntius ille maxima intemperatissimaque laetitia excipitur. Partim populus ad aedes deorum festinat, ut diis gratias agat, et imperatori occiso convicia facit, partim ad castra tendit. Ibi Laetus milites adlocutus Commodum propter vitae mores apoplexi correptum esse renuntiat et Pertinacem laudans milites eo adducere studet, ut hunc imperatorem renuncient. Qui cum nuntio repentino perterriti cunctarentur, Pertinax singulis donativum duodecim milium sest. promittit, quo permoti, quamquam inviti in nomen novi Imperatoris jurant.[1])

Castris relictis Pertinax sub lucis ortum ad senatus curiam profectus est, more illius aetatis in sacello senatum exspectaturus,[2])

[1]) Herodian. II c. 2. 12 sq. Capitolin., vita Pert. 4. Dio Cassius LXXIII. 1. Zonaras XII, 6. Johannis Antioc. fragm. (Müller. fragm. IV) p. 585. 586. — Bene de hac re refert Herodianus quamquam fide indignum hoc esse videtur. quod narrat. Cum Pertinax se verbis conjuratorum credere non posse diceret. de Commodi nece docent eum fabella. in qua Commodus nomina eorum exaraverat. quos eadem nocte caesos voluerat Herodianus enim. qui alio loco idem offert. propter dicendi genus invenisse hoc videtur. Praeterea verisimile non est. quod idem Herodianus tradidit. milites in castris metu populi permotos Pertinacem Imperatorem declarasse. Pertinacem ipsum praetorianos adlocutum esse singulisque donativum promisisse omittit.

Multo brevius Capitolinus haec enarravit: quamquam iis, quae Herodianus attulit non repugnat. Commemorat Pertinacem militibus singulis donativum duodecim milium sest. promisisse. Quae Dio Cassius refert vera sunt. sed pauca. Confirmat Pertinacem singulis praetorianis donativum (*τρισχιλίας γὰρ αὐτοῖς δραχμὰς κατ' ἄνδρα δώσειν ἐπηγγείλατο*) promisisse. Addit hoc. quod non neglegendum est. Cum Pertinax improvide coram praetorianis diceret. se iis adjutoribus multa. quae in praesenti rerum statu perversa essent. correcturum esse. milites murmurant rati Pertinacem iis omnia commoda. quae a Commodo contra jus et fas accepissent. auferre velle. Sed res nullius momenti est.

[2]) Casaubonus ad Capitol. vit. Pert. pag. 539 (Script. hist. Aug. cum notis Casauboni. Salmasii. Gruteri. Lugd. Bat MDCXXXIX. vol. I).

qui mane ad celebrandum diem festum, quo consules designati pompa ad curiam deducebantur, ut magistratum inirent, convenire solebat. Cum janitor nusquam repertus esset, Pertinax in templum Concordiae prope situm se contulit. Quo etiam Claudius Pompejanus venit, gener Marci Aurelii, qui mortem Commodi affinis lugebat.

Cui Pertinax imperium obtulit, sed is, ne imperium acciperet, recusavit, quia eum jam Imperatorem videbat. Tum senatus et novi consules Sossius Falco Erucius Clarus ad curiam pervenerunt, qui magno clamore Pertinacem Imperatorem salutant. Pertinax autem oratione declarat, se a militibus Imperatorem renuntiatum esse, sed imperium non appetere, et quoniam senatores hac dignitate digniores videret et ipse aetate et morbo opprimeretur, se imperio abdicaturum. Imperio dignissimum laudat Glabrionem senatorem nobilissimum, qui gentis originem ab Aenea ducebat. Quem Pertinax manu apprehensum ad solium prosequi voluisse dicitur, sed Glabrio minime consensit. Qua re Pertinax id studebat, ut senatum, cujus arbitrio imperium suum permitteret, eo magis sibi conciliaret. Et effecit quae voluit. Nam senatores, cum omnibus gratissimus esset, precibus eum fatigabant, ut imperium acciperet; quin etiam alter consul laudes ejus dixit, dum Commodus omnibus adsentientibus vehementer vituperatur. Itaque imperium accipit: senatui gratias agit pro beneficio et precibus petit, ut se novum Imperatorem, cui tot pericula imminerent, adjuvarent. Simul publice Laeto ejusque sociis gratias refert pro opera impensa. Quod Falco consul indigne tulit, qui praetermittere non potuit, quin Pertinacem vituperaret dicens, jam videre sese, quo Pertinacis imperium spectaret, cum Laeto et Marcia, Commodo familiarissimis niteretur.[2]) Pertinax autem respondit, consulem juvenem esse neque vim oboedientiae expertam habere,

[1]) Cicero, Phil. II, 32. pro Murena II. 37. Ovid. fasti I. 81. III. 147. Scoius, epit. 47.

[2]) Tillemontus histoire des empereurs. Bruxelles MDCCXI. II 3. 1000. qui, quod Falco consul Marciae nomen commemorat, putare videtur Marciam praesentem in senatu fuisse, errat, cum nullo modo effici potest etiam feminas in senatus curia apparuisse. Equidem puto Pertinacem declarasse oratione senatoribus, quomodo Commodus interfectus esset.

qua oppressi Laetus et Marcia inviti Commodo obtemperassent, qui nunc timore liberati indicarent quae sentirent. Sed consulis verbis senatorum animi minime moti sunt; immo vero ingenti omnium laetitia Pertinax ad Jovis et ceterorum deorum templa deducitur, in quibus more imperatorum sacra et vota faciat. Quae dum facit, Pertinaci a senatu dignitates illae attribuuntur, quibus imperatores tum ornari solebant. Augusti nomen accepit et nomen principis senatus, ut populo gratus esset; pater patriae primus sane omnium imperatorum statim vocatus est.[1]) Simili modo imperium proconsulare ei attributum est et jus quartae relationis i. e. jus referendi ad senatum de quattuor rebus et vocandi eas in suffragium.[2]) Flavia Titiana, uxor ejus, Augusta est appellata. Commodum vero summo animorum ardore senatores exsecrati sunt et senatus consulto vehementissime Pertinacem oraverunt, ut tyranni crudelissimi, hostis deorum, carnificis senatus corpus unco traheretur et statuae ejus dejicerentur.[3])

Publius Helvius Pertinax[4]) parvo loco natus erat,[5]) nam

[1]) Capitolin., vita Pert. c 5. . . . Primus sane omnium ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriae nomen recepit . . . . . Marquardt-Mommsen, Handbuch der römischen Alterthümer. Leipzig 1875. II. 2 p. 737. 738. Mommsen, corp. Inscr. II, 4125.

[2]) F. Walter, Geschichte des römischen Rechts. Bonn 1834—38. I §. 279. Dio Cassius LXXIII. 1. Capitolinus, vita Pert. c. 4. 5. Herodian. II c. 3. 5 sq. Inter hos rerum scriptores Dio Cassius, quamquam senator haec omnia in senatu ipse vidit, brevius narrat. Quem Capitolinus describendo superat. Plurima vero Herodianus affert, qui non multum a ceteris auctoribus discedit. Falsum refert, Pertinacem altero die sine ullis Imperatoris insignibus ad senatus curiam venisse, ut senatorum sententiam cognosceret. Cujus rei major fides habenda est ceteris fontibus, qui res in senatu sub lucem gestas esse dicunt, quod factum esse re ipsa verisimile est. Unus omnium Herodianus affert, Pertinacem Glabrionem senatorem ad solium ducere voluisse, quod recte se habuisse eo apparet, quod postea quoque hunc aeque ac Pomponium summis honoribus exornavit, ut infra videbimus.

[3]) Lamprid., vita Commodi 18. 19.

[4]) Quod nomen a rerum scriptoribus traditum et nummi et inscriptiones testantur. cfr. Eckhel, doctrina nummorum veterum VII. pag. 140 sq. Cohen, monnaies Rom. A. III. 199 sq. Mommsen, Corpus inscript. latin. II. 4125. III[1], 3232. Orelli, inscript. I. 896. 1104 — Falso Orosius VII. c. 16 nomen Aelii offert. Eusebius II. 174 nomen *Ἑλουιος* scripsit.

[5]) Dio Cassius LXXIII, 3. Capitolin., vita Pert. c. 1. Aurel. Victor, epit. 18.

filius erat Helvii Successi libertini, qui tabernam tignariam possidebat. Natus erat Kal. Aug. a. CXXVI in villa matris,[1] quae in Liguria haud procul a civitate Alba Pompeja sita fuisse videtur. Unde Publius Helvius nomen Pertinacis acceperit, minime elucet. Capitolinus quidem narrat[2] eum hoc nomine appellatum esse „ex continuatione lignariae negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret“, alii vero rerum scriptores, quod pertinaciter, ne imperium susciperet recusasset,[3] sed nugae sunt. Unde hoc Pertinaci cognomen inditum sit perquirere difficillimum est. Cum Pertinax nasceretur, prodigia facta esse dicuntur.[4] Equum enim tectum ascendisse et paulum ibi commoratum decidisse. Qua re commotum patrem Chaldaeum petiisse, qui prodigium interpretaretur. Chaldaeus cum respondisset, filium ad magnos honores destinatum esse, patrem ira commotum abiisse dicentem se pecuniam abjecisse. Quamquam Pertinacis pater vir plane ignobilis erat, tamen eum pauperem fuisse minime putandum est, nam filium Sulpicio Apollinari grammatico Graeco erudiendum tradidit, qui vir doctus M. Aurelio Imperatore florebat. Pertinax adulescens tanto horum studiorum amore repletus erat, ut ipse grammaticen profiteretur.[5] Unde cum minorem fructum acciperet, militiam capessivit et per Lollianum Avitum, qui patris patronus erat,[6] centurio factus ordinem ducendum accepit. Tum enim mos erat, ut adulescentes, qui militiam petebant non ut antea tribuni militum, sed centuriones militare inciperent.[7] Quod, cum ipsius Imperatoris permissu fieri liceret, sine dubio Lollianus Avitus appetivit.[8] Quo id anno factum sit, nescimus; sed Pertinacem ante annum a. Chr. n. CLVI. militiam appetivisse inde conjiciendum est, quod eo anno Lollianum Avitum proconsulem in Africam provinciam abiisse verisimile est.[9] — Pertinax brevi

1) Dio Cassius LXXIII. 3, quod exscripsit Zonaras XII. 6. Capitol., vita Pert. 1. cfr. pag. 22. — 2) Capitolin., vita Pert. 1. — 3) Aurelius Victor., epit. 18. — 4) Capitolin., vita Pert. 1. — 5) Dio Cassius LXXIII. 3. Capitolin., vita Pert. 1. Aurel. Victor. epit. 18. — 6) Capitolin., vita Pert. 1. Aurelius Victor, epit. 18 quem Tillemont II^3, 759 sequitur, falsum Lollii Gentiani nomen tradidit. Nomen enim filii cujusdam cum patris nomine confundere videtur. Cfr. Stobbe, die candidati Caesaris. Philologus XXVIII. 665. 666. — Postea quoque Pertinax patris patrono gratiam habuit. Aurel. Victor. epit. 18. — 7) Mommsen-Marquardt V., 366. — 8) ibid. — 9) Philologus XXVIII. 666.

praefectus cohortis factus Antonino Pio Imperatore in Syriam abiit. Sed cum diplomata, quibus vehiculis publicis uti liceret, minime sibi quaesivisset, pedibus Antiochia ad locum destinatum multis cum difficultatibus se conferre coactus est.[1] Qua in provincia Pertinax bello contra Parthos gesto, quod anno CLXII. exortum est, magna cum virtute interfuit.[2] Quos annos Pertinax in Syria provincia commoratus sit, cum e fontibus nihil eluceat, nescimus: ex iis autem, quae nota sunt, conjici potest eum sub finem vitae Antonini Pii Imperatoris[3] — nescio an fuerit anno CLX. — in Syriam missum esse. Pertinax, cum bello Parthico virtute se insignem praebuisset, in Britanniam transiit.[4] Quae ibi fecerit et quam diu ibi commoratus sit, e fontibus non elucet. Deinde praefectus alae in Moesia fuit,[5] qua ex re conjici licet eum tribunatu legionis, qui honos inter centurionem et praefectum alae erat,[6] in Britannia perfunctum esse. Ad hanc Pertinacis praefecturam alae recte inscriptio refertur prope Sirmium Pannoniae reperta, in qua Pertinax praefectus vocatur.[7] Sed cum nunquam diutius in Pannonia praefectus fuerit, Sirmium haud procul a Moesiae finibus absit, Pertinacem breve per tempus ad Sirmium militasse suspicamur.

Dignitate praefecti alae perfunctis munera, quae ad rei publicae administrationem pertinebant, deferebantur.[8] Quam ob rem Pertinax curam alimentorum liberis ingenuis, sed pauperibus, dividendorum, quae Imperatores ad augendos rei publicae Romanae cives fundaverant,[9] in iis regionibus accepit, quae in via Aemiliana sitae erant.[10] Quo munere perfunctus — ut saepius praefecti alarum praefecti classium fiebant[11] — praefecturam classis Germanicae accepit,[12] qua Rhenus et litus maris Germanici a

1) Capitolin., vita Pert. 1. . . . pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est. — Vox legationis hoc loco honorem quendam militarem significat. Salmasius ad Capitol. vit. Pert. pag. 732. — 2) Capitolin., vita Pert. 2. — 3) Capitolin., vita Pert. 1 — Tito Aurelio Imperatore . . . . . — 4) Capitolin., vita Pert. 2. — 5) Capitolin., vita Pert. 2. — 6) Mommsen-Marquardt V. 366. — 7) Mommsen, corp. inscript. III. 1. 3232. — 8) Mommsen-Marquardt V. 366. 367. — 9) Mommsen-Marquardt V. 157 sq. — 10) Mommsen-Marquardt II^2 998. 999 (V. 366. 367). Unde sequitur Pertinacem equitis dignitatem accepisse. Capitolin., vita Pert. 2. — 11) Mommsen-Marquardt V. 495. 488. — 12) Capitolin., vita Pert. 2.

barbaris defendebatur. In Germaniam eum matrem secutam esse constat, ubi mortua est. Sepulcrum ejus etiam suis temporibus exstitisse Capitolinus testatur.[1]) E Germania Pertinax procurator in Daciam provinciam abiit, ubi salario ducentorum millium sestertium fruebatur.[2]) Itaque cum quam celerrime eo honorum processisset, quo haud ita multis pervenire licebat, quid mirum, quod multis invidiae erat? Dolos igitur ei nexuerunt, ut Pertinax in Marci Aurelii Imperatoris odium incideret, qui eum e provincia revocavit neque alii muneri praeposuit.[3]) Sed precibus Claudii Pompejani permotus, qui Pertinacem permagni aestimabat, ei veteranorum vexillum dedit.[4]) Et cum virtute excelleret, in senatorum numerum receptus est, quod hominibus tam parvo loco natis perraro evenire solebat.[5]) Eodem fere tempore conjuratione detecta Imperator intellexit, quales doli Pertinaci parati essent. Itaque ut injuriam expiaret, eum praetorem fecit, quo ad majores in senatu honores eum provexit, et primae legioni regendae eum praefecit.[6]) Cum Pertinax statim cum Claudio Pompejano Rhaetiam et Noricum ab hostibus liberaret — nam tum ducebatur Marte ancipite bellum cum Marcomannis — ex illis legionibus quae primae appellabantur ea intelligenda est, quae in Pannonia in castris erat et vulgo prima Adjutrix vocabatur.[7]) — Pertinacem simul cum Claudio Pompejano magna cum virtute in Rhaetia et Norico contra barbaros a. CLXXII. pugnasse apud Dionem Cassium legimus.[8]) Cum optime de re publica defendenda meritus esset, majorem Imperatoris favorem assecutus est, ut anno CLXXV. Pisonis loco consul sufficeretur.[9]) Collega ejus erat Didius Julianus ille, quem Pertinacem Imperatorem secutum esse postea videbimus. Hoc munere functus Pertinax propter originem ignobilem multorum hominum nobilissimorum invidiam subiit[10]) Sed in dies majorem Imperatoris gratiam sibi conciliavit, nam Marcus Aurelius saepe et in contione militari et in senatu laudibus eum ac-

[1]) ibid. — [2]) Capitolin., vita Pert. 2. Mommsen-Marquardt IV, 416. — [3]) Capitolin., vita Pert. 2. — [4]) Dio Cassius LXXIII, 3. Capitolin., vita Pert. 2. — [5]) Capitolin., vita Pert. 2. Mommsen-Marquardt V. 367. — [6]) Capitolin., vita Pert. 2. Mommsen-Marquardt V, 442. 443. — [7]) Casaubonus ad Capitol. vit. Pert. pag. 535. — [8]) Dio Cassius LXXI. 3. — [9]) Capitolin., vita Pert. 2. Casaubonus ad Capitol. vit. Pert. pag. 535. — [10]) Dio Cassius LXXI, 22.

cumulavit et moleste se ferre ait, quod virum tantae virtutis propter dignitatem senatoriam praefectum praetorio fieri non liceret. Praescriptum enim erat, ut praefecti praetorio ex ordine equestri eligerentur.[1]) Marius Maximus in historia illa, quae ad nostram aetatem non pervenit, laudationem Pertinacis ab Imperatore habitam tradiderat, quam enarrare Capitolinus longum putavit.[2])

Eodem tempore, quo Avidius Cassius in Syria seditione illa commota mortem subiit — id quod medio fere anno CLXXV. accidisse constat.[3]) Pertinax in eadem provincia commoratus est. Quamquam nescimus, quo munere ibi sit perfunctus, tamen verisimile est eum iterum legioni vel exercitui praefuisse. Seditione oppressa Pertinax ad Danubium se contulit[4]), cujus ad ripas per totum fere Marci Aurelii regnum acerrime cum populis barbaris pugnabatur. Quodsi quis inscriptione illa, in qua Pertinax praefectus appellatur, commotus, praesertim cum Sirmii classis ad tuendum Danubium collocata esset, putet Pertinacem hujus classis praefectum fuisse, errare mihi videtur. Minime enim mea quidem sententia conjici licet Pertinacem, qui Imperatori gratissimus ad majores honores provectus esset, eidem muneri rursus praefuisse, quo jam multo antea functus erat. Ibi cum barbaris eum acriter contendisse traditum est, et quia Marcus Aurelius cum Commodo filio exeunte anno CLXXVI. triumphabat neque ulla alia causa triumphandi exstat, recte Tillemontus inde concludit Pertinacem victoriam a Germanis reportasse.[5]) Eodem jure Tillemontus censet Pertinacem anno CLXXV. ad Danubium profectum esse[6]). — Exinde Pertinax Moesiam administrandam accepit.[7]) Cujus provinciae, cum inde a Domitiani temporibus in Moesiam superiorem et inferiorem divisa esset, utramque partem legatus consularis[8]) administravit. Paulo post avocatus, iterum legatus consularis in Daciam transmissus est.[9]) Sed cum haec quoque provincia a

[1]) Mommsen-Marquardt II², 807. 808. — [2]) Capitolin., vita Pert. 2. — [3]) Tillemont II³, 1033 docet, Cassium initio mensis Aprilis seditionem illam movisse et mortem subiisse eodem fere tempore, quo Commodus toga virili ornatus esset. Quod factum esse non. Jul. a CLXXV docet. — [4]) Capitolin., vita Pert. 2. — [5]) Tillemont II², 652. 653. — [6]) Tillemont II, 2. 645. — [7]) Capitolin., vita Pert. 2. — [8]) Mommsen-Marquardt, IV, 148. 149. — [9]) Capitolin., vita Pert. 2.

Marco Aurelio vel ab Antonino Pio in partes tres divisa esset, et uniuscujusque partis legatus trium Daciarum[1]) legatus appellari solebat, dijudicari non potest, quam Daciae partem Pertinax administraverit. Illyriam quoque Pertinacem administrasse Herodianus tradidit.[2]) Cui Tillemontus adsentiens,[3]) eum eodem tempore Danubium fluvium tuitum esse et Illyriae provinciae praefuisse putat, sed falso. Vox enim Illyriae regionem, non provinciam indicans, omnes terras inter Danubium et mare Adriaticum a Pannonia usque ad Illyriam, quae hodie vocatur, sitas significat.[4]) Quod optime iis, quae de Pertinacis muneribus antea diximus, convenit.

Has provincias cum Pertinax summa cum industria administrasset, legatus Syriam provinciam accepit.[5]) Etiam post mortem Imperatoris Marci Aurelii, qui paulo post — a. d. XVI Kal. April. — e vita decessit,[6]) ibi permansit. Capitolinus dicit Pertinacem post mortem Marci Aurelii per vim et injuriam magnas divitias sibi parasse.[7]) Quae quam caute accipienda sint, postea docere aptius mihi videtur; quamvis enim Pertinax, opibus creverit, injuste tamen eum divitem factum esse non putandum est. Quam diu Pertinax Syriam administraverit Imperatore Commodo, ex iis, quae postea facta sunt conjici potest; unde constat eum anno CLXXXII. e Syria decessisse. Pertinax, postquam quattuor provinciis consularibus praefuit, Romam, quam senator nondum ingressus erat, revertit.[8]) Ibi tum auctoritate et potentia praevalebat Perennis praefectus praetorio, cui maxime omnium Commodus, qui, ut libidinibus tantum obsequeretur, a negotiis publicis plane se removerat, favebat. Ille cum Pertinacem periculosissimum sibi putaret, ut in patriam se reciperet ei praecepit.[9]) Causa autem hujus rei erat, quod Perennis eximiam Pertinacis virtutem timebat. Accedit, quod Pertinax Commodo gratissimus erat.[10]) Falso Capitolinus tradit divitias causam exsilii fuisse; quae occidendi Pertinacis facultatem dedissent — id quod saepissime tum accidere solebat — non expellendi.

[1]) Mommsen-Marquardt, IV. 153. 154. — [2]) Herodian. II c. 9, 12. — [3]) Tillemont II². 645. — [4]) Mommsen-Marquardt IV. 141. 142. — [5]) Capitolin. vita Pert. 2. Mommsen-Marquardt IV. 265. — [6]) Tillemont II². 660. — [7]) Capitolin.: vita Pert. 3. — [8]) ibid. — [9]) ibid. — [10]) Herodian. II c. 1, 10. 11.

Pertinax igitur in patriam se contulit, ubi, quamvis summis honoribus perfunctus esset, patris artem exercere et continuare minime verebatur. Tabernam, multis aedificiis adjectis, ampliavit et per servos suos mercaturam faciebat. Talibus negotiis occupatus cum tres per annos domi commoratus esset, exsilio liberatus est.[1]) Perennis enim inimicus militum consilio a Commodo necatus erat. Quod cum anno CLXXXV. factum[2]) et Pertinax tres per annos in Liguria commoratus sit,[3]) concludere possumus eum anno CLXXXII. e Syria Romam rediisse.

Commodus, quia virtutem ejus spectatam habebat, per litteras ab eo petivit, ut in Britanniam se conferret.[4]) Ibi enim pugnis acerrimis cum barbaris factis, quorum finem fecerat Ulpius Marcellus,[5]) disciplina militum plane soluta erat. Cujus rei milites nuperrime exemplum dederant, per mille quingentos armatos Perennis, quod injuriis se lacessivisset, ab Imperatore mortem petentes. Quantam Commodus Pertinaci fiduciam habuerit, inde cognoscitur, quod muneri periculosissimo eum praefecit, qui paulo antea exsilio liberatus erat. Pertinax, ubi in Britanniam venit, constantia et virtute tantopere omnium animos sibi conciliavit, ut Imperatorem eum renuntiare vellent. Ille vero tantum aberat, ut his illecebris se daret, ut militum animos sedaret. Tum in Commodi invidiam incidisse dicitur, quod homines clarissimos Antistium Burrum et Arrium Antonium apud Imperatorem calumniatus esset.[6]) Quam caute vero hoc accipiendum sit, inde intelligitur, quod haud verisimile est Pertinacem in Britannia commorantem Romae apud Commodum viros accusasse, qui Romae in urbe longe distante versabantur. Huc accedit, quod non Pertinacem, sed Cleandrum, qui Perennem in regenda re publica secutus, studio honorum et crudelitate aequabat, his viris insidias parasse ab aliis memoriae traditum est.[7]) Antistius Burrus enim, quam crudelis Cleander esset, Commodo affini renuntiaverat; quod cum ille audivisset, odio permotus Antistium Burrum accusavit, quod imperium affectaret et necem ei paravit. Eodem modo factum est, ut Arrius Antonius, qui Asiam provinciam administrans

[1]) Capitolin., vita Pert. 3. — [2]) Zürcher. Commodus pag. 241. — [3]) Capitolin., vita Pert. 3. — [4]) ibid. — [5]) Dio Cassius LXXII. 8. Zürcher. Commodus p. 257. 258. — [6]) Capit., vita Pert. c. 3. — [7]) Lampridius, vita Commodi 6. 7.

Attalum quendam condemnaverat, necaretur. Cleandro enim hic vir gratissimus fuisse videtur. Pertinax vero, cum in Britannia disciplinam ad pristinos mores redigere pergeret, ex duce militibus caro acceptoque dux invisus factus, adeo militum animos concitavit, ut complures seditiones exardescerent, et ipse ita in vitae discrimen veniret, ut inter mortuos relinqueretur. Quod quamquam summa severitate ultus est, tamen non ignorabat se in majora pericula vocatum iri. Propterea, ut e Britannia avocaretur, ab Imperatore petiit, qui ejus voluntati obsecutus est.[1])

Quod Pertinax Antistio Burro et Arrio Antonio insectatus esse dicitur, magni momenti est ad indicandum tempus, quo in Britannia commoratus sit. Caeso enim Arrio Antonio populi in Cleandrum invidia, quae fame et pestilentia orta erat, adeo crevit, ut a virgine quadam deae simili, quae in circo Cleandro vehementer increpuit, permotus ad Commodi palatium se volveret, caedem illius postulaturus. Commodus seditione perterritus, ut antea Perennem, ita Cleandrum ejusque filium interfici statim jussit. Quo non contenti Romani exacerbati corpus per urbem traxerunt, et caput abscisum conto fixerunt.[2]) Cleander autem anno CLXXXIX. necatus est, quo tempore Pertinacem e Britannia revertisse recte concluditur.[3]) Reversum Pertinacem ab iis, qui rem veram ignorarent, facile credi potuit Cleandri conscium fuisse. Quorum opinionem Capitolinus affert.[4])

Dio Cassius rem memoriae tradidit,[5]) qua, quantopere Pertinaci in Britannia commoranti cives Romani faverint, illustrare studet. Haec fere narrat. Romae tum erat equus, qui vocabatur Pertinax, crebris in circo victoriis clarissimus. Qui partis prasinae a Commodo adjutae erat, quae, ut a ceteris circi factionibus distingueretur, colorem viridem elegerat.[6]) Hic equus, cum iterum ut saepius victor e ludis prodiisset, ii, qui a parte prasina erant, Pertinacem esse conclamant. Adversariis vero haec audientibus, quibus Commodus odio erat, — erant enim ii, qui factionem venetam sequebantur et caeruleum colorem amabant[7]) — in mentem

[1]) Capitolin., vita Pert. 3. Dio Cassius LXXIII, 4. — [2]) Ael. Lampridius, vita Commodi 7. Zürcher, Commmodus pag. 259. 260. — [3]) Tillemont II³, 1036. — [5]) Capitolin., vita Pert. 3. — [4]) Dio Cassius LXXIII, 4. — [6]) Mommsen-Marquardt III, 497. — [7]) Mommsen-Marquardt, III, 497. 498.

venit ducis Pertinacis et, ut hic esset, cupiebant. Postea, cum idem equus, qui more illius aetatis publice alebatur, a Commodo instratus frenatusque ultimis anni ludis in circo improviso produceretur, populus cum plausibus clamoribusque: „Pertinax est" conclamavit. Confudisse igitur dicitur ducem Pertinacem cum equo Pertinace.

Sed consideranti, quo ardore, quantaque cupiditate ludorum circensium inflammatus fuerit populus Romanus, quantopere equis victoribus studuerit, mirum videtur, quod prodigia Pertinacis imperii has res Dio Cassius putat. Clamor enim et assensus ad equum solum, qui aptissime Pertinax vocabatur, non ad ducem pertinebant, quem tanto tum favore populi usum esse, cum longum per tempus urbem vix vidisset, minime credendum est. Verbis igitur Dionis Cassii non major fides habenda est quam fabulis. Ceterum Dionem superstitione hominum illius aetatis non vacasse inde elucet, quod aliud prodigium affert.[1]) Narrat enim Commodum extremo vitae die, cum gladiator proditurus esset, Pertinaci clavam suam dedisse, quod factum aeque ut illud Pertinacis imperium indicasse putat.

Pertinax igitur e Britannia revocatus alimentorum curam accepit[2]) anno CXC., cujus muneris peritissimus erat, quod jam antea alimenta dividenda procuraverat. Tillemontus, qui Pertinacem praefectum annonae Papirio successisse putat, vehementer errat.[3]) Deinde Pertinax in Africam, ut eam provinciam proconsul administraret, missus est.[4]) Ubi multas seditiones perpessus est, quas Carthagine e templo Deae coelestis vaticiniis tum celeberrimo[5]) praenuntiatas esse dicunt. Quibus de seditionibus, cum ceteri auctores taceant, nihil constat. Dio Cassius solus commemorat[6]) Fulvium quendam propter dolum, cupiditatem, procacitatem a Pertinace punitum esse, qui vir postea a Didio Juliano, fortasse quod Septimio Severo affinis fuit, magnos ad honores provectus est. Pertinacem in Africa aeque atque in Britannia

[1]) Dio Cassius LXXIII. 4. — [2]) Capitolin., vita Pert. 4. — [3]) Tillemont II². 737. — O. Hirschfeld (Untersuchungen auf dem Gebiete der römischen Verwaltungsgeschichte. Bd. 1. Ueber Alimentationen. Berlin 1876) I. 114—122. — [4]) Capitolin., vita Pert. 4. — [5]) Mommsen-Marquardt III. 82. 97. — [6]) Dio Cassius LXXIII. 17. adnot. §. 119.

militum emollitorum seditiones perpessum esse facile suspiceris, praesertim cum bella a Romanis tum in Africa gesta esse minime notum sit, et Commodus ubique crudelitate invisissimus esset. Ex Africa Pertinax praefectus urbis Romam rediit;[1]) proconsul Africae eum secutus est Didius Julianus ille, cum quo consul fuerat.[2]) Cum Fuscianus, qui praefectus urbis Pertinaci praecesserat, severissimus exstitisset, Pertinax mitissimum et humanissimum hominem se praeberet, quid mirum, quod omnes amore ejus ardere inciperent?[3]) Jam cum Pertinax praefectus urbi iterum cum Commodo Imperatore consulatum gesserit anno CXCII.,[4]) sub finem anni CXCI. Romam intrasse videtur. Herodianus, qui Laetum apud milites dicentem facit Pertinacem per multos annos praefectum urbis fuisse, vehementer errat,[5]) neque ulla ei fides habenda est, quippe qui, quo est studio rerum quam politissime narrandarum, vera interdum neglegat. — Pertinacem consulem et praefectum urbi praeter ceteros furori Imperatoris in dies crescenti expositum crebro magna in vitae discrimina vocatum esse, neque ipsum pericula ignorasse, quis est qui neget? Herodianus igitur aptissime a Pertinace noctu intrantes Laetum et Electum admoneri facit,[6]) ut Commodi praecepto oboedientes, ipsum quam celerrime caederent, jam dudum enim se vitae finem exspectasse. Quae verba a Pertinace edita esse etsi verisimile non est, aptissime tamen ejus conditioni accomodata sunt. Sed Commodus multis clarissimis viris necatis Pertinaci quoque mortem inferre veritus est, quod et ejus mores ac virtutem magni aestimabat et sciebat eum divitiis magnis carentem periculosum non esse.[7]) At cum nuntius in publicum prodiisset Commodum necatum esse, Pertinacem alterum consulem imperium suscepisse, nonne intellectu facile est rumorem dissipatum esse Pertinacem Commodi caedis auctorem sive conscium esse, praesertim cum Laetum praefectum praetorio auctorem caedis illius esse nemo nesciret? Quid? Cum Pertinaci multi adversarii exstitissent, nonne dissipando hoc ru-

[1]) Capitolin., vita Pert. 4. — [2]) Spartian., vita Julian. 1. — [3]) Capitolin., vita Pert. 4. — [4]) Dio Cassius LXXII, 17—24. Capitolin., vita Pert. 4. Fasti Idaciani p. 257. — [5]) Herodian. II, c. 2, 17. „ . . . *οἱ δὲ λοιποὶ τῆς πόλεως ἐπάρχοντα τοσούτων ἐτῶν ἀεὶ διὰ τιμῆς τε καὶ θαύματος ἔσχετε* . . .“ — [6]) Herodian. II, c. 1, 16—18. — [7]) Herodian. II, c. 1, 10.

more inter praetorianos multum valebant, ut novum Imperatorem regno spoliarent? Itaque Capitolinus narrat[1]) Pertinacem Commodi necis conscium fuisse, sed caute narrat, dicens eum „delatam sibi ab aliis hominibus hujus criminis conscientiam non fugisse“. Quod si consideramus, quam caute Capitolinus narret, e ceteris vero fontibus hoc de crimine nihil elucere, hic rumor plane rejiciendus est. Contra Herodianus a Pertinace hoc crimen avertit.[2]) Apud hunc enim legimus Pertinacem milites in palatium inrumpentes, ratum se iis invisum esse propter id maxime, quod Commodum de medio sustulisse videretur, ut hujus criminis suspectum amoveret, ita adlocutum esse: *ἴστε γὰρ ἔξω πάσης ὄντα με ὑπονοίας καὶ οὐδὲν ἧττον ὑμῶν ἀγνοοῦντα τὰ τότε πεπραγμένα.* Pertinacem hujus criminis conscium fuisse etiam Julianus affert in libro, qui inscribitur „Caesares.“[3]) Sed cum aliquanto post Pertinacis imperium hunc librum scripserit neque alios fontes sequatur, nisi solum Capitolinum, nulla fide dignus est.

Pertinax igitur ingenti et senatus et populi laetitia ad summum magistratum pervenerat. Qui, quamvis breve tempus regnaverit, qua erat justitia ac probitate, id omnibus viribus enisus est, ut rem publicam Commodi injuria ac violentia labefactatam servaret et in integrum restitueret.

Imperator factus Pertinax statim in aedes imperatorias transmigravit, quae tum vacabant, quia Commodus in aedibus Vectilianis et habitaverat et occisus erat.[4]) Tribuno militum, qui primo die signum petiit, Pertinax hoc dedit: „militemus“, quo signo antea, cum bella gereret, saepius usus erat.[5]) Voce illa Imperatorem segnitiem temporis praeteriti improbasse milites non effugit, quo factum est, ut qui antea inviti Imperatorem eum declaraverant, inde ab hoc tempore odio eum persequerentur. Primo quoque imperii die, qui dies erat festus, Imperator magistratus amplissimos et senatores nobilissimos ad coenam invitavit.[6]) Quod

[1]) Capitolin., vita Pert. 4. — [2]) Herodian. II. c. 5, 11. 12. — [3]) Juliani Caesares 7. — Cauer. Ueber die Caesares des Kaisers Julian. Progr. des Maria-Magdalenen-Gymnasiums zu Breslau 1856. — [4]) Capitolin. vita Pert. 5. Lampridius, vita Commodi 16. Herodian. II. c. 3. 25. Orosius VII, 16. — [5]) Capitolin., vita Pert. 5. — [6]) Capitolin., vita Pert. 6.

cum Commodus neglexisset, quin summa benevolentia senatu Pertinax usurus esset, dubium esse non potuit.

Populus Romanus, cum homine saevissimo se liberatum esse sentiret, propter diem festum animo excitatus eo odii et invidiae processit, ut vel corpus Imperatoris necati violare studeret, id quod senatores senatusconsulto illo postulaverant. At Pertinax quominus id fieret prohibuit, simulans Commodum jam sepultum esse, quem postea noctu in Hadriani sepulcro condidit.[1]) Quod cum ad senatores pervenisset, indigne tulerunt et, ut parricida sepultus erueretur et traheretur, postulaverunt. Cingius Severus pontifex Commodi statuas dejiciendas nomenque ex omnibus monumentis delendum esse censuit.[2]) Populus vero ira commotus Commodi statuas evertit, nomen ignominia affecit, omnia, quae ad honorandum Commodum sive in theatro sive in circo visa vel audita erant, in obscoenos visus deflexit. Singulis autem senatoribus, quorum vita Commodo vivo in perpetuo discrimine versata erat, gratulatus est populus ita acclamans: „Salve, salvus es, vicisti.“[3]) Cui furori modum facere Pertinax nec potuit nec voluit, unde factum est, ut majorem militum invidiam incurreret, qui magno dolore memoriam Imperatoris ipsis benignissimi maculatam viderent. Itaque cum Pertinax iterum signum illud invisissimum dedisset: „militemus“, praetoriani dissoluti et effrenati seditionem fecerunt. Tertio die, quo publice pro incolumitate principis vota sollemnia nuncupabantur,[4]) Triarius Maternus Lascivius senator, ut Imperator fieret decreverunt. Quem cum in castra ducere vellent, nudus e militum manibus effugit et ad Pertinacem venit. Deinde, ut videtur, principis voluntati obsecutus, Roma profectus est. Quo facto edoctus milites amplius non excitandos esse, si vitam ac salutem servare vellet, Pertinax omnia iis confirmavit, quae Commodus militibus et veteranis dederat.[5])

Haec dum aguntur, in provincias imperii Romani rumor perlatus est Commodum mortuum et Pertinacem principem esse. Sed

[1]) Lampridius, vita Commodi 17. 20. — [2]) Lamprid., vita Commodi 20. — [3]) Dio Cassius LXXIII, 2. – Capitol., vita Pert. 6. — [4]) Capitolin., vita Pert. 6. . . . votis ipsis. — Mommsen - Marquardt II², 764. 765. — [5]) Capitolin., vita Pert. 6.

cum ingenti Commodi timore omnium animi repleti essent, provinciarum magistratus, ne subditorum fidem hoc nuntio experiri vellet veriti, quamvis ut nuntius verus esset cuperent, eos, qui hunc nuntium attulerant, vinculis teneri jusserunt.[1]) Postea, cum verum esse nuntium appareret, maxima erat omnium laetitia. Itaque delecti Romam missi sunt, qui novo Imperatori gratularentur.[2])

Barbari vero, ubi audiverunt Pertinacem imperare, statim in ejus potestatem sponte se permiserunt, quia ejus virtutem Marco Aurelio Imperatore ipsi expertam neque ultro quemquam ab eo laedi nec pacem auro redimi persuasum habebant.[3]) Quod quam recte suspicati sint inde perspicias, quod a legatis barbaris domum profecturis, qui extremis Commodi diebus Romae aurum pro pace sustinenda acceperant, per Laetum id repetivit, simul iis mandans, ut Pertinacem nunc principem esse domi renuntiarent.[4]) Quoniam igitur nec bellum gerendum a Commodo relictum erat neque ullum propter omnium Pertinacis timorem bellum imminebat, Pertinax humanitate, probitate, eximia rei publicae cura ductus,[5]) emendandis vitiis incommodisque in administranda republica non minus quam in jure dicendo operam navavit. Qua in re maxime nisus est auxilio senatus, in quo, etsi Commodus optimum quemque senatorem sine ulla causa ceciderat et senatores elegerat homines nefarios, quibus favebat, multi tamen et optimi cives fuerunt. Ac sane necesse erat Pertinacem a senatus et populi parte stare, quod praetoriani ei infestissimi erant. Itaque summa cum benevolentia senatum tractabat[6]) et, ut senatorum animos sibi conciliaret, omni modo studebat. Quin etiam a senatu renuntiandum se Imperatorem curaverat. Eandem ob causam senatoribus nobilissimis, Acilio Glabrioni et Claudio Pompejano illi, quem optime de Pertinace meritum esse jam vidimus, imperium obtulerat cumque hoc recusassent, sedis imperatoriae in senatu eos consortes fecerat,[7]) id quod a nullo unquam alio Imperatore factum esse scimus. Quae cum ita essent, Claudius Pompejanus,

[1]) Dio Cassius LXXIII. 2. — [2]) Herodian., II. c. 4. 6 7. — [3]) Herodian. II. c. 4. 5. Dio Cassius LXXIII. 6. — [4]) Dio Cassius LXXIII. 6. — [5]) Dio Cassius LXXIII. 5. — [6]) Capitolin. vita Pert. 13 „ . . . ut senatum faventem adoraret“ uberius dicit. — [7]) Dio Cassius LXXIII. 3.

qui Commodo regnante de vita anxius nunquam in senatum venerat, simulans se morbo impediri, ipse quoque senatum frequentavit et senatorem rei publicae studiosissimum se praebuit.[1]) Pertinacem non tam Imperatorem quam primum senatorem putari se voluisse inde intelligas, quod ipse se senatus benevolentia regnare dicebat et nomen principis senatus libentissimo animo audiebat.[2]) Singulis vero senatoribus familiarissime utebatur. Primo enim imperii die senatores ad coenam ab eo invitatos esse jam vidimus. Idem postea quoque saepissime faciebat, quin etiam cibos singulis senatoribus mittebat, ut amicis amicus.[3]) Praeterea, id quod ceteri Imperatores consulto praetermiserant,[4]) saepissime senatus actionibus intererat et jure quartae relationis utebatur.[5])

Senatum vero Pertinaci favisse inde apparet, quod novus Imperator ingenti laetitia in curia senatus salutatus et honoribus exornatus est. Quod Jostenus dicit[6]) senatum magis Clodium Albinum quam Pertinacem amasse, vita Clodii Albini, quam mendaciis corruptum esse J. Muellerus optime docet,[7]) nititur. Immo vero senatus principis amore commotus familiae ejus honores amplissimos attribuit. Uxorem enim Pertinacis Augustam (Σεβαστήν) appellavit, cui rei princeps non adsensus est, sive quod noluit Augustae nomen maculari ab uxore, quae lascivia minime vacasse videtur, sive quia principatum suum nondum satis periculis liberum esse intellexit neque affines, si forte principatu dejiceretur, in discrimen vocari voluit. Eodem modo commotus titulum Caesaris a senatu filio decretum non accepit dicens: „cum meruerit“.[8]) Quod vero nummi exstant, ubi Pertinacis uxor σεβαστή vocatur, hos nummos in provinciis signatos esse putandum est, ubi vel credebant uxori Imperatoris hoc nomen tributum iri vel senatum hunc titulum dedisse audiverant. Cui nomini quin Imperator

[1]) ibid. — [2]) Capitol., vita Pert. 6. — Nomen principis senatus Imperatoribus haud jucundum esse solebat. — Mommsen-Marqu. II². 834. Orelli I. 896. 897. Mommsen, corp. inscr. II. 4 25. — [3]) Dio Cassius LXXIII. 3. Capitolin., vita Pert. 12. — [4]) Mommsen-Marquardt II². 836. 837. — [5]) Capitolin. vita Pert. 9. — [6]) H. Josten. die politische Stellung des römischen Senates zu den Kaisern. Inaug.-Dissert. Rostock 1875. — [7]) Mueller. der Geschichtsschreiber Marcus Maximus. (Buedinger. Unters. zur röm. Kaiserg. Bd. III.) p. 158–169. — [8]) Dio Cassius LXXIII. 7. Capitolin.. vita Pert. 6.

adsentiretur nemo dubitabat.[1]) Idem dicas de inscriptione illa, in qua Augustae et Caesaris nomina scripta invenimus.[2]).

Senatus auctoritate restituta, ut adflictum rei publicae statum erigeret, jurisdictioni reformandae operam navavit. Ipse praecepit ac jurejurando sancivit, ne quis in posterum laesae majestatis accusaretur, qua ex re principis benignitas et innocentia maxime elucebat. Majestatis vero crimine damnatos et exsilio affectos revocavit, caesorum vel eorum, qui hoc crimine onerati mortui erant, memoriam restituit.[3]) Eorum quoque, qui propter aliam causam contra jus ac fas supplicio affecti erant, famam refecit et superstitum animos sibi conciliavit. Qui gaudio lacrimas effundentes necatorum reliquias effoderunt, ut sepulcris majorum eas conderent.[4]) Crimina falsa, quae tum lucri causa fingebantur, ut reprimeret, delatores illos poenis gravissimis, quae dignitati uniuscujusque accusati accommodatae erant, affici jussit[5]) et servos, qui falsis criminibus dominos persecuti erant, cruci affixit.[6]) Aliis in rebus mitem ac humanum judicem se praebuit.[7]) Testamenta Pertinax sancivit, ne prius irrita fierent, quam novum testamentum legibus constitutum inventum esset. Praecepit autem haec Pertinax, quod prohibere voluit, ne fiscus talibus ex testamentis lucrum perciperet.[8]) Praeterea, quamquam tum mos erat, ut Imperatores per blanditias ex testamentis magnae pecuniae heredes fierent,[9]) Pertinax declaravit, se has hereditates nunquam accepturum esse nec lite perplexas, quae neglectis testatoris affinibus ad Imperatores pervenire solebant.[10]) Quae cum ad senatum referret, causam adjecit: „satius esse inopem rem publicam

[1]) Eckel VII. 147. Cohen III. 206. TITIANH CEBACTH.

[2]) Orelli I. 895. PRO SALUTE IMP. CAES. | P. HELV. | PERTINACIS AUG. P. P. PONTIF. MAX. | TRIB. POTESTAT. COS. II. | P. HELV. PERTINACIS CAES. | ET FL. TITIANAE AUGUST. | OCEANUS SEC. VERNA | TISPEN . . A. FRUMENTO. —

[3]) Capitolin.. vita Pert. 6. — [4]) Dio Cassius LXXIII. 5. Capitolin.. vita Pert. 6. — [5]) Capitolin. vita Pert. 7. Herodian.. II c. 4. 16. — [6]) Capitolin.. vita Pert. 9. — [7]) Herodian II c. 4. 2. — [8]) Capitol.. vita Pert. 7. Corpus jur. civil. (ed. Mommsen), instit. lib. II tit. 17. 7. — [9]) Mommsen-Marquardt V. 284. 285. — [10]) Capitol.. vita Pert. 7. Corp. jur. civ.. instit. lib. II. tit. 17, 8.

obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia pervenire.[1])

Simili modo ipsam rei publicae administrationem vitiis liberare studuit. Commodi adulatores, qui praetura nunquam functi, contra jus ac fas ad majorem in senatu dignitatem pervenerant, Pertinax iis postposuit, qui praeturae praefuissent. Unde in magnum illorum odium pervenisse Imperatorem quis est, quin videat?[2]) Ceteros vero homines, qui Commodi favore muneribus publicis praefecti erant, Pertinax nondum dimisit, sed Palilium diem festum exspectavit.[3]) Agri publici, qui in Italia vel alibi incultus erat, etiamsi principis esset, quod quisque cupiebat ad colendum permisit, omissisque possessorum pristinorum juribus, ut ager ejus fieret praecepit, qui eum coluisset. Colendi facultas, quo facilius offeretur, immunitatem decem annorum agricolis concessit.[4]) Praedia imperatoria ipsius nomine inscripta in tabulas referri vetuit, populi Romani ea esse dicens, non Imperatorum.[5]) Bona, quae Commodus per injuriam acquisiverat, possessoribus pretio restituit.[6]) Vectigalia quoque et viarum et fluminum, quae ad augendam pecuniam excogitata erant, sustulit et pristinam commercii facultatem restituit.[7]) Sed cum in aerario publico non essent nisi sestertium decies,[8]) quia congiaria et donativa solvenda erant, reique frumentariae studiosissimum Imperator se praebebat,[9]) necessitate et aerarii inopia adductus, rursus vectigalia imponere coactus est. Quo factum est, ut cum aliorum iram excitaret, tum Lolliani Gentiani consularis,[10]) qui principem in senatu objurgare, quod promissis non staret, non veritus est. Ad haec Pertinax respondit necessitate se eo adductum esse.[11]) Alimentationes Trajani sustulit, simulans memoriam hujus Imperatoris obduratam esse, re vera quod pecuniam residuam novem annorum solvere non potuit.[12]) Munera publica ingredientibus vectigal im-

[1]) Capitolin., vita Pert. 7. — [2]) Capitolin., vita Pert. 6. — [3]) Capitol., vita Pert. 12. — [4]) Herodian. II, c. 4, 12. 13. — [5]) Herodian., II, c. 4. 13. — [6]) Capitolin., vita Pert. 9. — [7]) Herodian., II c. 4, 14. — [8]) Dio Cassius LXXIII, 8. Capitolin., vita Pert. 7. — [9]) Dio Cassius LXXIII, 8. Capitolin., vita Pert. 7. — [10]) Qui videtur filius Lolliani Aviti fuisse. Philologus XXVIII, 666. — [11]) Capitolin., vita Pert. 7. — [12]) Capitolin., vita Pert. 9. Hirschfeld pag. 122.

posuit, quo fiscum ditabat.[1]) Ipse autem princeps adeo parsimoniae studiosissimum se praebebat, ut et sumptum dimidio minueret et convivia, quae Commodo vivo luxuriosissima fuerant, parcissime haberet.[2]) Quod ex hac Pertinacis parsimonia vilitatem omnium rerum Romae ortam esse Capitolinus dicit,[3]) cum breve per tempus Pertinax regnaverit, fide non dignus est. Quamquam putandum est cum Imperatoris exemplo alios ad imitandam ejus parsimoniam permotos esse, tum propter ejus curam annonae factum esse, ut rerum pretia, quae ex pestilentia illa et inopia frumenti anno p. Chr. n. CLXXXIX. in immensum a aucta erant,[4]) viliora fierent.

Hujuscemodi igitur parsimonia et industria adeo aerarium publicum reformavit, ut non solum aes alienum, quod contrahere initio imperii opus fuerat, solveret et stipendia debita expenderet, sed etiam pecuniam operibus publicis assignaret et reficiendis viis praeberet.[5]) Ut igitur militibus pecuniam promissam solveret, primum a Commodi libertinis omnia repetivit, quae iis a domino dono data erant.[6]) Deinde omnes res sub hasta vendidit, quas Commodus reliquerat. Scurras obscoenissimis nominibus vocatos aeque ac pueros et meretrices ejus vendi jussit, iis exceptis, qui per vim in Commodi aedes pervenerant. Nonnullos autem pueros, quibus antea, ut ad summos honores pervenirent, facultas oblata erat, suo ipsius ministerio destinavit.[7]) Ceterae res, quae divenditae sunt, a Capitolino accuratissime enarrantur hae:[8]) „vestis sub tegmine serico, aureis filis, insigni opere, tunicae paenulaeque lacernae et chiridotae Dalmatarum et cirratae militares purpureaeque chlamydes Graecanicae atque castrenses et cuculli Bardaici

[1]) Capitolin., vita Pert. 8. — [2]) u. [3]) ibidem. — [4]) Zürcher. Commodus 259. 260. — [5]) Capitolin., vita Pert. 9. — [6]) Capitolin., vita Pert. 8. — [7]) Capitolin., vita Pert. 7.

[8]) Capitolin., vita Pert. 8. Quae enumerans quantum potui Capitolinum ipsum secutus sum. Tota haec enarratio rerum venditorum apud Capitolinum prorsus est confusa. Quapropter Peterus (script. hist. Aug. vol. I p. 110) putat duobus ex fontibus Capitolinum haec in Pertinacis vitam transtulisse. Equidem, cum conjici non liceat, Capitolinum duobus fontibus usum esse, cum summa neglegentia ac levitate haec quoque e Marii Maximi historia exscripsisse contendo. — Dio Cassius LXXIII, 5.

et toga armaque gladiatoria, gemmis auroque composita et macerae Herculaneae et torques gladiatoriae vasaque eluto auro, ebore, argento citroque composita atque etiam phallovitrobuli ex materia eadem et vasa Samnitica calefactandae resinae ac pici devellendis hominibus ac leviginandis nec non vehicula arte fabricae nova perplexis diversisque rotarum orbibus et exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem et alia iter metientia horasque monstrantia et cetera vitiis ejus convenientia." — Qua auctione habita militibus Pertinax dimidium donativi dedit sex millia H. S.; praeterea populo congiarium solvit centum denariorum. [1])

Tantis talibusque curis rei publicae omnium amorem ac studium Pertinacem sibi parasse omniumque eum adjumento usum esse putares, sed brevi intellexit se non solum militibus, sed etiam multis aliis odiosum esse. Duae enim partes eo tempore, quo ad imperium venerat, Romae erant, altera praetorianorum enervatorum, altera senatus populique. Quamquam Pertinax ab utraque parte Imperator declaratus erat, praetoriani tamen ei nunquam favebant; immo vero et signis illis, quae dederat, et ignominiis Commodo illatis, quas non prohibuerat, factum erat, ut seditionem tertio imperii die milites commoverent. Imperator vero, ut pericula removeret, omnia, quae Commodus militibus dederat, confirmavit et praemia militiae promisit, sed denuo illorum iram excitavit praecipiens, ne amplius rapinis et injuriis cives Romanos vexarent [2]). Quorum praefectus tum erat Laetus ille, quem cum Electo et Marcia, ut Pertinax Imperator fieret, auctorem fuisse scimus. Qui, quantopere praetorianis Imperator invisus esset videns, et fore ut ipse per milites in discrimen vocaretur, putavit, nisi adjuvando Imperatore desisteret, et auctoritate sua apud Pertinacem se nihil valere magis magisque intelligebat. Itaque ex Imperatoris amico ei inimicissimus factus est [3]). Laeto imprimis aulici illi se conjunxerunt, qui auctionem illam rerum Commodi, quo factum erat, ut omnibus occasio oblata esset videndi suis oculis,

[1]) Dio Cassius LXXIII, 5. Qui dicit Pertinacem totum donativum militibus dedisse, sed Capitol., vita Pert. 15 diligenter tradidit Imperatorem dimidium donativi iis solvisse. — [2]) Dio Cassius LXXIII. 8. Herodian., II c. 4. 2. — [3]) Dio Cassius LXXIII, 6. Capitolin., vita Pert. 10.

quam perverse Commodus vitam egisset, simulque Pertinacis severitatem et parsimoniam aegre ferebant. [1]) Praeterea Pertinax eos sibi inimicos reddiderat, qui Commodi favore muneribus publicis praefecti erant. Quos cum muneribus non removeret, mirum in modum Commodi amicorum auxilio usus est, quamquam Commodi rei publicae administrandae rationem plane improbavit. Tali modo imperium suum labefactari Pertinax non ignoravit; itaque Paliliis magistratus mutare et homines fidos muneribus praeficere in animo habuit. Quod cum ad illorum cognitionem pervenisset, odio Pertinacis ducti conjurationem fecisse dicuntur, ut die illo principem suffocarent. [2]) Utramque igitur Pertinacis adversariorum factionem a Laeto conjunctam esse recte conjicias, e quibus praetoriani, quia armati erant, destinati esse videntur, [3]) ut Imperatorem invisissimum imperio privarent. Die quodam, quo Pertinax cura annonae occupatus procul Roma commoratus est, seditione nova per milites facta, Falco consul in castra ductus Imperator renunciatus est. Qui vir, et opibus et divitiis insignis, primum quidem Pertinaci increpuerat, quod Commodi amicis faveret, tum vero spe imperii adductus ab his stetisse videtur. Cuius seditionis nuntio allato, Pertinax confestim Romam properavit. Ubi senatu, quem confirmaret, convocato, nulla ipsius culpa seditionem ortam esse oratione declaravit. Se enim militibus, cum decies tantum sestertium in aerario invenisset, non minus donativi dedisse, quam Marcum Aurelium et Lucium Verum, qui vicies septies sestertium accepissent. Quod aerarium publicum initio imperii sui pecunia vacasset, aulicorum culpa factum esse. [4])

Dio Cassius, cujus ante oculos haec omnia versabantur, Pertinacem hoc verum non dixisse putat; Marcum enim Aurelium et Lucium Verum praetorianis vicies HS. dedisse, Pertinacem duodecies HS., quapropter et aulicos et milites, in senatu haec Imperatoris verba audientes, fremuisse. Neque tamen hac in re Dionem Cassium sequi licet, cum e vita Marci Antonini Philosophi eluceat [5]) ambos Imperatores vicies HS. militibus dedisse, non utrum-

[1]) Dio Cassius LXXIII, 8 hanc partem *καισάρειοι* vocat. — [2]) Capitolin., vita Pert. 12. — [3]) Dio Cassius LXXIII. 8. — [4]) Dio Cassius LXXIII, 8. *πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας δραχμῶν εἰπών.* Herodianus hac de seditione nihil tradidit. — [5]) Capitolin., vita M. Anton. Philos. 7.

que; Pertinacis igitur verbis, cum plus dederit quam uterque Imperator, fides non neganda est.

Seditione ad irritum redacta, senatus Falconem hostem civitatis declarare et condemnare voluit. Sed Pertinax, qua erat humanitate, declaravit se nunquam permissurum esse, ut ullus senator, etiamsi noxius esset, capitis damnaretur. Unde factum est, ut et ipse — id quod voluit — tanto in imperii discrimine gratia senatus populique cresceret, et Falco consul liberaretur, qui securus Romae vivebat et filium relinquens mortuus est. [1])

Capitolinus hanc rem aliter evenisse refert. [2]) Qui tradidit Pertinacem in senatu conquestum esse sibi a Falcone consule, qui imperium appeteret, insidias parari; qua re audita senatum a principe stetisse. A Falcone servum quendam permotum esse, ut filium Fabiae, sororis Lucii Veri se esse diceret et gentis aedes vindicaret, sed Pertinacem, qui dolum perspexisset, flagellis caesum servum domino restituisse. Unde eos, quibus Imperator invisus fuisset, seditionis occasionem deduxisse. Multos vero putasse Falconem sibi imperium parari minime compertum habuisse, alios contendisse eum a servis apud Pertinacem falsis testimoniis accusatum esse. Idem scriptor ut Dio Cassius refert Falconem poena solutum ac securum postea Romae vixisse et diem supremum obiisse. Capitolinus igitur „multorum“ et „aliorum“ opinionem sequitur, sed caute sequitur, quapropter rumoribus illis, quos a Pertinacis adversariis dispersos esse facile intelligi potest, fides habenda non est. Praeterea quae Capitolinus tradidit non integra, sed corrupta ad nostram pervenerunt aetatem. Nam cum paulo post enarret Pertinacem unius servi testimonio adductum multos milites occidisse, neque hujus rei causa elnceat, non dubium esse videtur, quin aliter hoc acciderit et seditio commota sit, quam apud Dionem Cassium descriptam invenimus. Capitolinus igitur res gravissimas praeteriit, sive quod male fontibus utebatur, sive quia Marius Maximus — id quod minus verisimile esse videtur — hanc seditionem male edoctus fuit.

Bis igitur Pertinacis imperium magnum in periculum vocatum erat. Quibus e periculis quamquam Imperator integer discessit, novae tamen seditiones imminebant. Laetus enim, qui aperte in Falconis seditione versatus esse non videtur, secreto majore cum securitate Pertinacis imperium evertere studebat. Praetorianos ut amplius lacesseret, multos milites, qui conjurationis participes fuissent, necavit, dicens a Pertinace hoc imperatum esse. [1]) Capitolinus quidem Imperatorem unius servi testimonio perductum multos milites, qui Falconi studuissent, cecidisse commemorat. [2]) Quod nec justitiae Pertinacis neque clementiae ejus convenit, sed a Laeto per dolum ac fraudem factum est. [3])

Caede illa per Laetum facta adeo milites exacerbati sunt, ut tertiam seditionem moverent. Trecenti enim praetoriani armati castris relictis sub meridiem, quo tempore minus impediebantur, quod viae hominibus tum vacare solebant, ad aedes Imperatoris cursu concitato properant. Pertinax eodem tempore ad Athenaeum se conferre, ut poëtam audiret, in animo habuerat, sed quod prodigia infelicia apparuerant, militibus, qui eum comitari solebant, dimissis consilio destitit. [4]) Nulla igitur re impedita manus illa militum ad palatium pervenit. Milites dum apertis per aulicos infidos, qui ad facinus eos hortabantur portis in aedes penetrant usque ad eam partem, quae Sicilia et Jovis coenatio vocabatur, Pertinax per servos fidos de periculo imminente certior fit. Imperator, ut militum animos sedaret, statim Laetum, qui cum eo erat, obviam iis misit. Laetus vero, cujus id potissimum intererat, ne seditio iterum opprimeretur, Imperatori minime obsecutus milites evitavit adopertoque capite domum se contulit. Militibus, cum jam in interiorem palatii partem penetrarent, ipse Pertinax animo forti atque impavido occurrit. Longa et gravi oratione praetorianos adlocutus eorum animos sedat et, ut consilio desistant, milites movet. Unus ex iis Tausius, natione Tun-

Footnotes, p. 26:

[1]) Dio Cassius LXXIII, 8. Capitolin., vita Pert. 10. — [2]) Capitolin., vita Pert. 10.

Footnotes, p. 27:

[1]) Dio Cassius LXXIII. 9. — [2]) Capitolin., vita Pert. 10. — [3]) Dio Cassius LXXIII. 9. — [4]) Hos milites, quos Imperatores singulis diebus e singulis cohortibus comites sibi deligere solebant, Pertinaci majorem fidem servasse, quam reliquos praetorianos — id quod Muellerus p. 143 adn. 2 credit — plane rejiciendum est. Immo vero credere licet aut eos seditionis jam antea praeparatae conscios fuisse, aut trecentos illos, quos Dio Cassius audaciores nominat, dum ceteri praetoriani cunctantur, repente e castris erupisse.

grus, commilitonum iram loquendo concitat ipseque telum in Imperatorem conjicit. Qui perfossus concidit et caput toga involvens et Jovem ultorem invocans spiritum efflavit. Electus, Pertinacis comes, qui solus Imperatori fidem servasse videtur, restitit, sed, cum duos milites necasset, periit.[1])

Necati igitur Imperatoris caput abscisum et conto fixum milites secum ad castra portant. Ubi clausis portis in turribus custodias disposuerunt, ut a populi furore tutos se redderent, quem nuntio caedis disperso maximum fore non ignorabant.

Scriptores aetate minores[2]) Didium Julianum, Pertinacis successorem, caedis auctorem fuisse contendunt. Cujus rei cum in fontibus aetate majoribus nulla mentio fiat, ex solo Aelio Spartiano hoc hausisse videntur, qui in vita Didii Juliani, quantopere populo invisus hic fuerit, discribens dicit: „habebaturque ita, quasi Juliani consilio esset Pertinax interemptus“.[3]) Magnum

[1]) Dio Cassius LXXIII, 9. 10. Capitolin., vita Pert. 11. Herodian II. c. 5, 1 sq. Capitolinus hic quoque nonnullorum opinionem affert, qui imperatorem a militibus oppressum anxium de vita circum lectum cucurrisse dixerint. Quae opinio ad dijudicandam Pertinacis vitam minimi est momenti, praesertim cum ipsa res a moribus principis plane discrepet. Herodianus autem, cum hoc loco occasio oblata sit scribendi elegantissime, verbis ornatissimis utitur. Qui Pertinacem gravem illam orationem habentem facit: se mortem non timere. omnium enim hominum vitae finem imponi; sed caverent. ne imperatoris sanguine dextras macularent, se enim iis nec ullam injuriam fecisse nec Commodi necis culpa onustum esse; quae aequa essent. se iis libenter daturum; quae Pertinacis condicioni optime conveniunt. Si Dionem Cassium sequi licet, ducenti milites ad palatium properant; cujus rei nuntium Pertinaci uxor affert. Dio Cassius narrat Pertinacem milites irruentes facile interficere potuisse. cum milites in palatio excubias tum egissent magnusque numerus hominum ibidem fuisset, vel abdere se et, clausis palatii portis caeterisque januis interjectis. aufugere, sed impavide eum militibus occurrisse. ut oratione eos placaret. Quamquam commemorat milites irrumpentes ab aliis commilitonibus prohibitos non esse janitoresque et reliquos Caesarianos non modo non portas clausisse. sed etiam omnes aditus patefecisse. Militem illum, qui Imperatorem perfodit. loquentem facit: „hunc gladium tibi milites mittunt“. Deinde milites Imperatorem ejusque comitem cecidisse refert.

[2]) Eusebius II, 174. 175. Aurel. Victor., caes. XVIII. Eutrop., VIII. 8. Julian. caesares 7 nomen quidem reticet. sed Didium Julianum auctorem existimasse videtur. — Cauer, Ueber die caesares des Kaisers Julian.

[3]) Ael. Spartian., vita Did. Jul. 3.

populi in Didium Julianum odium fuisse Dio Cassius quoque affert.[1]) Nec mirum hoc, quia Didius Julianus a praetorianis magna vi auri imperium emerat. In vita Clodii Albini,[2]) quam Muellerus mendaciis corruptam esse docet,[3]) per Albinum, ut Pertinacem necaret, Julianum motum esse scriptum invenimus. Qua vita Eutropius uniti videtur,[4]) qui a Clodio Albino Didium Julianum in caede Imperatoris adjutum esse tradidit.

Capitolinus memoriae tradidit[5]) Pertinacem Falcone Claro coss. a. d. V. Kal. April., qui est dies XXVIII. mensis Martii, anno CXCIII. occisum esse. Quod cum ea re non congruit, quam idem affert Pertinacem duos per menses et XXV dies regnasse; sequitur enim Imperatorem, cum Kal. Jan. a. CXCIII. ad regnum pervenerit, mortem subiisse XXVI. die Martii. Nec minus confuse Capitolinus tradidit Pertinacem natum esse Kal. Aug. Vero Bibulo coss., vixisse a. LX, menses VII, dies XXVI. Quae si sequi liceret, natum esse Imperatorem a. CXXXII., quo anno Verus et Bibulus consules non fuerunt, mortuum cum esse XXVII. die mensis Martii, vel natum esse eum pridie Kal. Aug., mortuum vero die XXVI. mensis Martii putandum esset. Sin Kal. Aug. natum esse Pertinacem pro certo habemus, quo die eum natum esse inscriptio testatur,[6]) recte se habent, quae Dio Cassius refert.[7]) Qui vixisse Imperatorem contendit annos LXVII, IV mensibus III diebus deductis, regnasse dies LXXXVII, unde intelligi potest Pertinacem a. CXCIII. die Martii XXVIII. caesum esse, id quod Capitolinus tradidit, natum a. CXXVI., quo Verum et Bibulum consulatum gessisse scimus. Quae cum ita sint, major fides Dioni Cassio tribuenda est quam Capitolino, qui nulla ratione adhibita negligenter singulos numeros scripserit. Herodianus duos per menses Pertinacem regnasse tradidit,[8]) sed refutatur cum a Capitolino et Dione Cassio, tum inscriptione illa,[9]) qua die Martii XIX. vixisse

[1]) Dio Cassius LXXIII, 13. — [2]) Capitolin., vita Clodii Albini 1. 14. — [3]) Mueller, der Geschichtsschreiber Marius Maximus, pag. 158 sq. — [4]) Eutrop., VIII. 10. — [5]) Capitolin., vita Pert. 15. — Clinton, fasti Romani I, II ad ann. 193. Tillemont II[3], 1000. 1001. — [6]) Orelli I, 1104. Mens. Augusto Divi Pertinacis Kal. Aug. — [7]) Dio Cassius LXXIII, 10. — [8]) Herodian., II, c. 4, 11. — Sievers, das Geschichtswerk des Herodian (Philologus XXVI, 8. 15.). — [9]) Orelli I, 896.

Pertinacem constat. Zonaras,[1]) qui quae affert haud accurate e Dionis Cassii historia exscripsit, dies LXXXVII Pertinacem imperium obtinuisse narrat, vixisse annos LXVII, quattuor mensibus deductis. Apud Eutropium[2]) scriptum invenimus Imperatorem septuaginta annos natum summam rerum accepisse et die LXXX. imperii vita privatum esse. Aurelius Victor[3]) affirmat in epitome annos LXVII Pertinacem vixisse, regnasse dies LXXXV, in caesaribus autem dies LXXX imperium eum obtinuisse. Apud Eusebium[4]) legimus Pertinacem plus quam septuaginta annos natum ad imperium pervenisse et VI per menses imperio praefuisse et anno vitae LXX. caesum esse. Quod quam falsum sit inde perspicias, quod Imperator ante diem festum Palilium, qui die XXI. Aprilis celebrari solebat, mortem oppetivit.

Pertinax senex fuisse videtur summae gravitatis. Corpore erat praevalido atque amplo, laborabat autem ex pedibus. Barbam habebat promissam et capillos longos.[5]) Majestatem staturae ejus laudat Capitolinus.[6]) Qui quamquam mediocrem ei dicendi facultatem attribuat, verbis eum magis, quam factis omnium studium sibi parasse dicit, quapropter stolidae mentis hominem eum habitum non esse. Qua in re auctor ipse sibi repugnat, cum virtute Pertinacem ad summum honorum fastigium pervenisse exposuerit.[7]) E Marii Maximi historia haec fluxisse videntur, qui, quod forsitan ipse Pertinaci succensuit, rumores undique collatos in describendis Pertinacis moribus, minore diligentia et judicio usus, libro suo inseruit.[8]) Capitolinum enim, qui multo post illum floruit, Pertinacis odio perductum de industria perverse enarrare, aut aliis auctoribus usum esse verisimile non est. Itaque non est, cur narrationi illi fidem attribuamus.

Parco et simplici victu, quo antea usus erat, Imperator Pertinax non destitit. Pompam et apparatum imperatorium dimidio statim diminuit. Quamvis saepissime senatores ad coenam adhiberet, cibos tamen frugales apponebat. Fasiano, qui tum cibus delicatus putabatur, plane abstinebat. Cibos simplicissimos et amicis mittere et ipse accipere solebat. Qui, si comesi non erant, in diem proximum reponebantur. Cum amicos non invitaverat, Imperator cum uxore coenabat, aut Valerianum, quocum adulescens litteris imbutus erat, ad coenam adhibebat, ut sermonibus doctis delectaretur. Unde elucet eum et in belli periculis et ad summos honores provectum semper litteris fautorem fuisse.[1])

[1]) Zonaras, XII, 6. — [2]) Eutrop., VIII, 16. — [3]) Aurel. Victor., epit. XVIII, caesar. XVIII. — Th. Opitz, quaestiones de Sexto Aurel. Victore (Ritschel, acta societ. philol. Lips. vol. II. 234. 235.). — [4]) Eusebius, II, 174. 175. — [5]) Capitolin., vita Pert. 12. Dio Cassius LXXIII, 1. — [6]) Capitolin., vita Pert., 12. — [7]) Capitolin., vita Pert. 2. 3. 4. — [8]) Qui rumores orti esse videntur cum ex indole illa Romanorum ad ludibrium propensa, tum e malitia eorum, qui Imperatori irati omnia ejus facta de industria detrectabant vel cavillabantur. Tillemont II³, 765.

Capitolinus vel Marius Maximus, quo ille utitur auctore, simplicitatem Imperatoris sordidam appellans, maligne narrat eum in maximis conviviis novem pondo carnis tribus ferculis apposuisse et singulos cibos enumerat, quos Pertinax amicis mittere solebat.[2]) Quapropter Gibbonus, quamquam aspere, tamen non injuste Capitolinum vituperat, quod ut servus loquatur, qui hisce de conviviis a puero culinario certior factus sit. Optime Dio Cassius,[3]) quem Imperatoris convivam fuisse compertum habemus, has calumnias rejicit, cum dicit Imperatorem propter simplicitatem ab hominibus divitibus et luxuriosis saepe derisum, ab iis autem, qui magis virtuti, quam luxuriae studuissent, laudatum esse. Quin etiam christologum eum a poëtis infami nomine appellatum esse, quod plus iis promisisset, quam dedisset, Capitolinus tradidit.[5]) Ejusdem nominis probrum cives quoque Imperatori intulisse refert, qui, quamquam eum Romae visissent, nihil tamen doni accepissent. Quid? quod avaritiae quoque ac repetundarum Capitolinus Pertinacem incusat, tam sordidae avaritiae eum fuisse dicens, ut in administrandis provinciis auro et argento accepto legatos nominaret, alios militia liberaret. Itaque factum esse, ut, quamquam in parvo patrimonio natus neque heriditate ulla ditatus, breve divitiis cresceret. Apud vada Sabadia laeso aliorum jure eum patris tabernam amplificasse, quapropter „mergum agrarium" e

[1]) Capitolin., vita Pert. 12. Dio Cassius LXXIII, 3. — [2]) Capitolin., vita Pert. 12. — [3]) Gibbon (Geschichte des römischen Reiches. Uebers. von C. W. v. R. Wien 1790) I, 4 adn. 49. — [4]) Dio Cassius LXXIII. 3. — [5]) Capitolin., vita Pert. 13. Quem sequitur Aurel. Victor, ep. XVIII. Opitz, quaestiones etc p. 234. 235.

versu Luciliano eum appellatum esse.[1] Etiam Imperatorem eum per servos mercaturam egisse ita, ut omnibus vehementer displiceret. Quod quam falsum a Capitolino dictum sit, jam inde effici potest, quod populus morte principis comperta maximo luctu affectus est.[2] Quod porro Capitolinus refert Pertinacem imperio accepto per servos mercaturam continuasse, Imperator pro liberis hoc fecisse putandus est, quibus princeps factus omnem rem familiarem dedit et tutam reddidit.[3] Ceterum Capitolinus hic quoque Mario Maximo nititur, quem rumores Pertinaci iniquos collegisse diximus, nec fide dignus est.

Ut de Pertinacis familia dicamus, uxor ejus filia erat Flavii Sulpitiani, quem praefectum urbis gener nominavit.[4] Capitolinus cithaeroedum eam amore amplexam esse dicit: quid Pertinacem non doluisse, qui et ipse amori incesto deditus esset. Hanc quoque rem in rumorum illorum numero habendam esse putare haud alienum est, quod ceteri auctores non modo non hoc recte se habere affirmant, sed etiam morum severitatem Imperatoris laudant.[5] Uxorem saepe cum marito coenasse apud Capitolinum scriptum invenimus.[6] Summo studio Pertinax filium et filiam educandos curabat. Quos non in aedibus imperatoriis institui jussit, sed in domo avi,[7] ne propter patris dignitatem in pericula adducerentur. Superbiam et fastum ab iis removere omni modo studebat; filium scholas et gymnasia cum aequalibus frequentare voluit.[8] Eandem ob causam et quod periculis liberatum eum voluit, filium Caesaris nomine, quod ei a senatu decretum esse comperimus, appellari non sinebat.[9] Quoties vero liberos suos visitabat, non Imperatorem sed patrem amantissimum se gerebat.[10] Ab inopia ut eos defenderet, ubi ad imperium pervenit, omnem rem familiarem iis dedit ac in tuto collocavit.[11] Filiam suam

[1]) Capitol., vita Pert. 9. — [2]) Capitol., vita Pert. 14. Dio Cassius LXXIV. 4 5. Quomodo funus imaginarium Pertinacis factum sit, accuratissime enarrat. — [3]) Dio Cassius LXXIII, 7. — [4]) Capitolin., vita Pert. 13. Dio Cassius LXXIII, 7. — [5]) Aurel. Victor, caes. XVIII. — [6]) Capitolin., vita Pert. 12. — [7]) Dio Cassius LXXIII, 7. Capitolin., vita Pert. 13. Herodian., II. c. 4, 18 falco refert in paterna filium mansisse domo. — [8]) Dio Cassius LXXIII, 7. Herodian., II, c. 4, 18. — [9]) Dio Cassius LXXIII, 7. — [10]) ibid. — [11]) ibid.

Didii Juliani fratris filio despondit.[1] Filius autem flamen patris inauguratus et Carracalla imperatore consul suffectus postea propter id ipsum, quod Pertinacis filius erat, interfectus est.[2])

Capitolinus, ut ominum tum maxima erat auctoritas, quam accuratissime signa enarrat,[3] quae Pertinacis mortem praenuntiasse dicebantur. Imperatorem enim tertio die antequam occideretur hominem gladio sibi insequentem in piscina vidisse tradidit. Ipso die, quo occisus esset, pupillis oculos vacasse, cum laribus sacra faceret, carbones candentes subito exstinctos esse et cor ac caput hostiarum reperta non esse. Juxta solem visa esse sidera clarissima. Et ipse Imperator imminentis interitus signa edidisse perhibetur. Nam cum Didius Julianus fratris filium adduxisset, cui Pertinax filiam desponderet, Imperator puerum adhortatus est, ut summa observantia patruum coleret, haec locutus: „Observa collegam et successorem meum". Quod quomodo interpretandum sit Capitolinus recte docet, cum Didium Julianum et consulis Pertinacis collegam fuisse dicit et proconsulem Africae secutum esse.

Ubi vero palam factum est Pertinacem caesum esse, tanto furore populus commotus est, ut caedis auctores conquireret, sed frustra. Inprimis senatores mortem principis benignissimi lugebant. Qui veriti ne novam crudelitatem milites molirentur, ut vitam servarent, et ipsorum et praetorianorum, quos fidos habebant, domibus se abdiderunt.[4]

Pertinacis corpus recuperato capite absciso Didius Julianus, qui a militibus auro principatum emerat, summis cum honoribus in sepulcro familiae uxoris condidit.[5] Ipse Didius Julianus, quamquam timore militum permotus Pertinacis neque apud populum neque apud senatum mentionem fecit,[6] tamen non solum conviviis sed etiam cibis abstinuisse dicitur, donec Pertinax sepultus esset.[7] Sed cum a militibus Didius Julianus derelictus esset, Pertinax a senatu populoque in deorum numerum relatus

[1]) Capitolin., vita Pert 14. Nomine „filii" Capitolin., vita Pert 13 filium et filiam indicat. — [2]) Ael. Spartian., vita Caracalli 4. — [3]) Capitolin., vita Pert. 11. 14. — [4]) Herodian., II, c. 6. 1 sqq. Dio Cassius LXXIII, 11. Capitolin., vita Pert. 14. — [5]) Capitol., vita Pert. 14 — [6]) Capitolin., vita Pert. 14. Ael. Spart., vita Didii Juliani 4. — [7]) Ael. Spart., vita Didii Juliani 3.

est. [1]) Postea Severus, qui, ut Pertinacis caedem ulcisceretur, a copiis Gallicis et Illyricis Imperator renuntiatus erat, [2]) sollemni pompa funus ejus imaginarium celebravit, in deos immortales eum sustulit, ipse laudationem funebrem habuit, qua omnium lacrimas movit. [3]) Necis vero auctores princeps factus occidi Severus jussit. [4]) Pertinacis flamen filius ejus factus est, [5]) et Marciani, qui eo usque temporis divo Marco sacra fecerant, Helviani appellati, Pertinacis sacris praefecti sunt. [6]) Etiam ludi circenses ad colendum eum instituti sunt, et dies, quo imperium inierat breve per temporis spatium celebratus est. [7]) Severus ipse, ut memoriam Imperatoris coleret, a senatu Pertinacis nomen accepit. Quod cum omen infaustum esse videretur, postea nomen mutavit. [8])

[1]) Capitolin., vita Pert. 14. — [2]) Ael. Spart., vita Severi 5. — [3]) Capitolin., vita Pert. 15. Dio Cassius LXXIV, 4. 5. summa cum diligentia funus descripsit. Aurel. Victor, epit. XVIII. Ael. Spart., vita Severi 7. — [4]) Dio Cassius LXXIV, 1. — [5]) Capitolin., vita Pert. 15. Ael. Spartian., vita Severi 7. — [6]) Capitolin., vita Pert. 15. Ael. Spartian., vita Severi 7. — [7]) Capitolin., vita Pert. 15. — [8]) Ael. Spartian., vita Severi 7.

II.
Tabula chronologica.

Kal. Aug. a. 126	Publ. Helvius Pertinax natus est.
ante a. 156	Pertinax militiam capessit.
a. 160? — a. 162?	Pertinax praefectus cohortis in Syria est; bello Parthico interest.
	Deinde tribunus legionis in Britanniam mittitur.
?	Pertinax praefectus alae in Moesia commoratur, curam alimentorum per Aemiliam accipit, praefectus classis in Germaniam proficiscitur, procurator Daciae est, veteranis praeficitur, senator designatur et praetor.
a. 172	Legatus legionis Pertinax primae legioni Adjutrici in Pannonia praeficitur.
a. 175	Pertinax consulatum gerit cum Didio Juliano et legatus legionis in Syria est.
a. med. a. 175 — ad finem a. 176	Ad Danubii tutelam mittitur in Germaniam.
a. 177 — a. 180	Moesiam et Daciam legatus consularis administrat.
a. 180 — a. 182	Provinciae Syriae praeest.
a. 182	Romam reversus a Perenne in exsilium mittitur.
a. 185	Exsilio liberatur.
a. 185 — a. 189	In Britannia Pertinax commoratur.
a. 189 a. 190	Curae alimentorum in Italia praeficitur et proconsul in Africam mittitur.
a. 191	Pertinax praefectus urbi Romam redit.
a. 192	Cum Commodo consul est.
Kal. Jan. a. 193	Imperator factus,
a. d. V Kal. April. a. 193	a praetorianis occiditur.

III.

De fontibus.

Fontes, quibus Pertinacis rerum scriptorem niti necesse est, hi sunt.

I. Dionis Cassii ῥωμαϊκῶν ἱστοριῶν τὰ σωζόμενα. — Dio Cassius et nobilitate generis floruit et honoribus; [1]) nam Commodo et Pertinace Imperatoribus senator fuit, postea bis consul. Somnio perductus Commodi regnum descripsit. Qui liber cum magnopere probatus esset Imperatori, rerum Romanorum historiam descripsit, ab Aeneae adventu incipiens ad suam usque aetatem, tantam operam impendens, ut XXII annis octoginta libros conficeret. Quorum e numero integri hodie quoque exstant libri XVIII (l. XXXVII. — l. LIV.), ceteri a Xiphilino aliisque excerpti.

Pertinacis tempora cum scriptor hic viderit, Imperatoris amicus cum fuerit ac familiaris, cuius ipse coenis interesset, magnam ei fidem habeamus oportet. Quamquam magnopere dolendum est, quod brevius Pertinacis vitam tractavit, quod quae gesta sint in senatu, cui ipse interfuit, paucis tantummodo retulit. Nimis eum favisse vel adulatum esse Pertinaci, plane rejiciendum est: immo vero veritatem secutus ea, quae Pertinaci minori decori erant, afferre non dubitat. [2])

II. Capitolini vita Pertinacis. — Capitolinus ex numero est scriptorum historiae Augustae, qui Imperatorum vitas descripserunt a Trajano usque ad Carinum. Diocletiano Imperatore vigens scripsit cum aliorum Imperatorum vitas tum Pertinacis. Ut ceteri scriptores historiae Augustae, Capitolinus quoque — id quod ipse fatetur [3]) — auctorem sequitur Marium Maximum, cujus ad nostram aetatem scripta non pervenerunt. Marius, si Muellerum sequi licet, [4]) senator fuit Commodo regnante et postea iterum consul.

[1]) Dio Cassius LXXIII, 12. — [2]) Dio Cassius LXXIII, 7. 8. — [3]) Capitolin., vita Pert. 15. — [4]) Mueller, Untersuchungen zur römischen Kaisergesch. p. 21 sq.

Neque erraveris, si Suetonii vitas hunc dixeris continuasse inde a Nerva usque ad Heliogabalum Imperatorem. Qua in re nititur Marius Maximus cum aliis fontibus tum senatus consultis et monumentis publicis, quae ad verbum saepius transcripsit. Hanc Marii Maximi consuetudinem scriptores historiae Augustae plerumque imitantur. Marius Maximus, cum ipse quoque Pertinacis tempora viderit, quae de Imperatore hoc tradiderat, permagni fuisse videntur. Hunc igitur auctorem secutus Capitolinus Pertinacis vitam egregie describit, qualemque se gesserit antequam fieret Imperator, qualem cum fieret, qualem Imperator factus, diligentius exponit. Ceteri auctores, cum nihil fere memoriae prodiderint de eo Pertinacis vitae tempore, quo Imperator nondum fuit, Capitolinus, quod hoc quoque vitae tempus copiosius tractavit, pluris aestimandus est.

Quae quamvis ita se habeant, caute tamen Capitolinum sequamur oportet. Marius Maximus enim, quo auctore hunc usum esse vidimus, non solum ex monumentis ea, quae tradidit, hausisse videtur, sed etiam quae fama acceperat retulisse. Quod Pertinaci parum amicus fuisse, videtur qui de Imperatore per urbem discurrebant rumores facile recepit. Qui quam incerti fuerint ac dubii, adjecto vocabulo „dicitur" Capitolinus saepius indicat. Haec, quae diximus ad ea maxime referas, quae de Pertinacis moribus apud Capitolinum scripta invenimus, [1]) quam ob rem cavendum est, ne talibus calumniis fidem attribuamus.

III. Herodiani ἱστοριῶν βιβλία ὀκτώ. — Herodianus admodum senex Gordiano III. regnante rerum Romanorum historiam inde a Marci Aurelii morte usque ad Gordiani III. imperium scripsit. Qui cum id maxime enitatur, ut quam politissime enarret, continuas res eleganter solet explicare et orationes innectere ab ipso inventas, quae condicioni plerumque optime conveniunt. Pertinacis historiam describenti non est cur fidem Herodiano negemus, quamvis res singulas minus recte tradiderit. Quae antequam ad imperium pervenit, Pertinax gesserit quaeque Imperator fecerit, perpaucis hic scriptor exponit; ad imperium quomodo pervenerit, e vita quomodo decesserit uberius explicat.

[1]) pag. 31. 32.

E fontibus commemoratis plerumque hauserunt scriptores hi:

IV. Aurelii Victoris Caesares et epitomae de vita et moribus Imperatorum Romanorum.

V. Eutropii breviarium historiae Romanae.

VI. Orosii historiarum libri VII adversus paganos.

VII. Fasti Idaciani.

VIII. Eusebii chronicor. canon. quae supersunt (ed. Schoene. vol. II.).

IX. Juliani *οἱ Καίσαρες ἢ συμπόσιον*, qui Lucianum imitatus de vita moribusque Imperatorum judicat (ed. Heusinger, Gotha. MDCCXXXVI.)

X. Johannis Antiocensis fragmenta, quae ad verbum fere e Herodiani historia exscripta sunt.

XI. Zosimi *ἱστορία νέα*.

XII. Zonarae *χρονικόν*, qui plane Dionem Cassium secutus est.